



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi  
Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis  
Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio  
Decalogi Duabus distincta partibus**

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes,  
mira brevitate, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem  
præceptorum secundæ tabulæ

**Tamburini, Tommaso**

**Monachii, Anno M.DC.LIX.**

De obligatione restitutionis ex homicidio, paragr. 1.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39995**

mira voluptate aures admovebamus omnes; præter scientiam enim veterani Theologi, non Tyronis, erat habitu corporis venusto, modestiamque & gratiam non vulgarem in loquendo præferbat. Quare se cohibere non potuit alioqui gravis, & sermone parvus Archiepiscopus, quin exclamaret. Macte litteris & virtute, nunquam satis laudate juvenis. Utinam Diacelis nostra tui non ablimiles nancisci plurimos posset! Equidem illud ex animo spondeo, si quod pingue beneficium, vel etiam quælibet ex primarijs dignitatibus, quarum nominatio vel collatio ad me pertinet, unquam vacet, neminem à me tibi esse præferendum. Erubuit ingenuo pudore candidus adolescens, gratias appositè egit, à nostro confesso cum plausu recessit, ac sacerdotio omnium primus, (sic jubente Archiepiscopo) insignitus est postero die. Verum (ut miseranda est hominum conditio) nequaquam parem fortunam postea sortitus est novellus Sacerdos; siquidem paucis interjectis mensibus (heu) Archiepiscopus extremo fato, collacrimantibus omnibus, sublatùs est, meoque præsertim tanto doloris sensu, ut cum ejus mortis memoria, mori & velim nunc orationem meam: nam propterea tantisper, oro, lector, fileamus.

## §. III.

*Quæ penitentia imponenda injusto homicidio in Sacramento Confessionis.*

1. DE hac Paulus Comitulus a in hanc sententiam scribit: homi-

cidij penitentia salutaris esset, veniam petere ab occisi propinquis, iisdem omnia damna refarcire, pro anima occisi per annum tria præstare: singulis hebdomadis unam Missam curare celebrandam; aliquam eleemosynam juxta homicidæ facultates pauperibus erogare; Litanias vel Rosarium Virginis percurrere: præterea per eundem annum semel in hebdomada confiteri; semel in mense communicare, & semper tota vita quotidie unum Pater & Ave, genibus flexis pro eadem anima occisi recitare. Hac Comitulus, quæ satis sit, Confessoribus proposuisse, ut ex his, in casibus particularibus minuunt augeantur opera, juxta condiciones personæ penitentis aliarumque circumstantiarum, cum ea prudentia, quam breviter in mea Methodo b Confessionis expendo.

a Comitol. in resp. Moral. lib. 4. qu. 11. num. 8. b in opusc. Meth. Conf. li. 4. c. 3. & 4.

## CAPUT QUARTUM.

*De obligatione Restitutionis ex homicidio.*

## §. I.

*De obligatione restitutionis ex homicidio indirecto.*

1. DAMNUM alteri ex quacunque actione, atque adeo ex occisione provenire, vel indirectè potest, vel indirectè seu per accidens. Ne longum faciam, intellige id  
exeni-

exemplo : Ioannes segetem Petri per culpam mortalem comburit. Sane is damnium Petro directè facit; atque eum ad restitutionem Petro teneri de toto damno, nullus ignorat. At si forte Francisco innocenti imputetur eorum segetum combustio, unde Francisco intrudatur in carcerem, spoliatur suis bonis, condemnetur ad triremes &c. hoc damnium dicitur indirectum & per accidens, respectu Ioannis: idem ergo in occisione. Si enim Ioannes injustè occidat Petrum, damnium Petro directè facit, & ad restituenda omnia damna Petro obvenientia obligabitur, de qua obligatione agam mox §. 2. At si Ioannes, ut dictum est, occidat Petrum, sed deinde Francisco de eiusmodi occisione infametur, & solvat pœnas; hæc solutio pœnæ est indirecta, respectu Ioannis, & in §. præsentī quærimus, an Ioannes obligetur, hoc indirectum damnium resarcire?

2. Et quidem certum a mihi est, Ioannem debere compensare Francisco, ve ejus hæredibus ea, quæ ipse Francisco coactus forte fuit à iudice tradere Petro directè damnificato, ea, inquam, quæ recompensabant damnium directum ipsi Petro illatum. Ratio est manifesta, quia Ioannes damnificans tenetur facere æqualitatem cum ipso Petro, cui directè damnium intulit: ergo cum Petrus à Francisco habuerit suum, & Ioannes, ut certum est, per hoc non absolvatur ab obligatione resarciendi damnium, quod fecit, consequens est, ut Francisco vicces Petri nunc subeunti reddat; nisi forte Petrus restituat Francisco id,

quod coactus à iudice Francisco ipsi Petro tradidit; nam tunc Ioannem Petro debere reddere, nimis est clarum.

a De Lug. t. 1. de just. d. 8. sec. 6. n. 84. *Rebellus p. 1. lib. 3. c. 11. num. 15. citan. Cordub. solum aliosq.*

3. Redeo ad quæstionem propositam. Triplici modo se habere potest Ioannes indirectè damnificans, seu occidens alium: primo, itaut non prævideat, illud delictum esse alteri, v. g. Francisco imputandum. Secundò, ut prævideat, sed non intendat. Tertio, ut prævideat & intendat.

Affero, probabile & tutum esse, regulariter loquendo, non teneri quempiam ad restituendum damnium eiusmodi secutum indirectè, quocumque ex his tribus modis res contingat, atque adeo dictum Ioannem ad nihil obligari. Ratio hujus nostræ sententiæ, quam impugnat de Lugo, b sed sequitur c Lessius, est, quia damnificatio tunc solum est radix obligationis restituendi, quando est causa externa physica vel moralis damni consecuti, ut patet in alijs obligationibus. Sed in casibus dictis, damnificatio seu occisio non est causa physica, ut certum est, quia nullum concursum seu influxum physicum exercet occisio Petri, quam commisit Ioannes, in imputatione Francisco: nec moralis; quis enim dicat, quod ideo imputetur damnificatio ipsi Francisco, quia illam fecit Ioannes? Ergo &c. Iudex igitur solū capit occasionē imputandi occisiones Francisco, ex occisione facta à Ioanne, non autem Ioannes dat causam.

Q 2

Quare

Quare etiam si Ioannes damnum Francisci prævideat, vel etiam intendat, unde & peccet contra charitatem, tamen quia hæc prævisio & intentio non facit ipsam actionem externam injustam, nisi alias ex natura sua sit causa, saltem moralis, iniusti damni, non potest inde colligi onus restituendi, quod solum sequitur ad injustam causam externam damni.

b *De Lugo l. c. sec. 6. nu. 20. sequens Molinam t. 4. tr. 3. d. 86. nu. 3. & Rebell. l. c. c. Less. li. 2. c. 9. d. 16. n. 113.*

4. Dixi autem (regulariter loquendo) quia interdum ex circumstantijs damnificatio est talis, ut influat moraliter ad imputationem, & tunc sane erit obligatio restitutionis: ut si comburens v. g. segetes Petri, vel Petrum occidens, utatur famulis, vel gladio alterius tertij v. g. Francisci, ipso Francisco invito, ex quo desumatur indicium, quod Franciscus damnum vel mortem intulerit. Tunc enim ea damnificatio est causa physica damni Petri, sed moralis damni Francisci.

Ad dignoscendum autem, an adit eiusmodi moralis influxus, illa est regula, ut videatur, an ex tali damnificatione, juncta cum suis circumstantijs, sequatur ut plurimum imputatio vel damnum tertij; si enim, ut plurimum, signum erit moralis influxus. Lege Lessium citatum.

5. Ex dictis sequitur, eum, qui furatur thesaurum avaro, unde avarus dolore confectus moriatur; eum, qui occultè aliquem occidit, unde talis occisio alteri, v. g. inimico occisi imputetur; eum, qui alapam alteri impingit, unde ob dedecoris apprehen-

sionem moriatur; eum, qui vendit militi arma, unde is homicidia injusta committat: eum, qui solo suo exemplo extraneis est offendiculum ad male agendum, & similes, non obligari ad restitutionem ex homicidio, etiam si intentum id à dictis fuerit; quia tunc, licet peccetur contra charitatem, non tamen peccatur contra iustitiam, per actionem externam, quæ sit vera causa physica, vel moralis homicidij.

Qui alium occidit, & collocat cadaver ante januam alterius, unde is alter à iudice condemnatur, non iudico esse causam moralem ejusmodi condemnationis: multo minus, qui invenit cadaver occisi ab alio ante suam januam, & illud collocat ante januam alterius, lege de Lugo, f qui etiam à restitutione excusat eum, qui infantem ante suam januam inventum, collocat, ut nutriatur ab alijs, ante januam alterius. verum, qui alium occidit in domo vel agro alterius, unde pariter is alius condemnatur, iudico esse moralem causam. Ratio utriusque dicti est, quia ex prioribus actionibus non sequitur, ut plurimum, imputatio homicidij; siquidem casu ibi mori potuit, alibi vulneratus: sequitur ex posteriore: nam præsumitur, domino domus vel agri consentiente, homicidium fuisse commissum. in utroque adesse causam moralem, probabiliter supponit Sanchez, g sed propter rationem dictam nostra opinio videtur probabilior.

e *De Lug. t. 1. de just. d. 8. sec. 6. n. 84. loquitur tamen, quando imputatio prævidetur, licet non intendatur. Contra Sanc. ab eodem de Lugo citatum ib. d. 13. sec. 5.*

sec. 5. n. 116. f. De Lug. i. c. d. sec. 5. d. n. 114. g. Sanc. li. 1. conf. c. 8. du. 5. num. 72.

6. Quando ex actione positiva tua (nam quando ex omissione, dictum est paulo ante c. 3. §. 1. nu. 10. & 11.) imputatur homicidium alteri, vel aliud contingit, unde mors tertio sequatur, non incurris *h* irregularitatem, si solum peccasti contra charitatem, nec eam mortem intendisti, licet prævideris: quia tunc tu non es ullo modo causa homicidij, ut dictum est: at si peccasti graviter, ut semper hic supponendum est, per actionem positivam, licet solum contra charitatem, prævdisti tamen mortem, illamque intendisti, irregularis *i* eris. Ratio mihi videtur esse, quia causa irregularitatis ex sacris Canonibus est homicidium voluntarium, seu volitum. At homicidium, quod intenditur, sive solum nunc peccetur contra charitatem, sive etiam contra justitiam, sive ponatur ejus causa multum periculosa, sive parum, dummodo aliqua, quamvis levis causa, vel etiam levis occasio scienter ponatur, atque homicidium, ut dictum est, intendatur, voluntarium est seu volitum: ergo per illud irregularitas incurretur. Non sic, quoad obligationem restitutionis: ad hanc enim inducendam non satis est quodcumque voluntarium, nec quæcumque prævifio, vel intentio, sed necesse est, ut ponatur causa externa, physicè vel moraliter influens absolute, & ex se sufficienter ad damnum, modo jamjam explicato. Et hujus rei ratio ulterior est, quia cum de

obligatione restitutionis nulla specialis legis dispositio positiva adfit (ut ad est certe de irregularitate) recurrendum pro illa est ad id, quod de jure est naturali, nimirum ad sufficientiam influxus dati damni. Vide, quæ dicam inferius, lib. 8. tr. 3. c. 2. num. 9. & 10. ubi hæc eadem doctrina magis clarescet, & confirmabitur magis.

*h* Less. li. 2. c. 9. n. 112. dum dicit, dictam imputationem, etiam prævifam, non facere peccatum contra justitiam. *i* de Lug. t. 1. de just. d. 8. sec. 9. nu. 78. ex eo principio, quo putat, tunc peccari contra justitiam *l.* etiam Dicast. li. 6. tr. 1. de just. d. 10. du. 24. n. 194.

## §. II.

*De damno dato, digressio.*

1. **M**onti superius, me hic aliqua consulto addere de indirecta damnificatione, etiam in temporalibus bonis, ne iterum, cum de restitutione agam, eadem repetere debeam.

*Damnum indirectum à te illarum.*

Ex dictis ergo resolvatur sequens casus. Antonius facem manu præferens ingressus est domum Petri, furaturus ejus vestes. Accidit autem, ut omnino casu & præter intentionem facula incenderet ornatus seu aulaa domus vicinæ Titij, quæ nullo modo furari Antonius intendebat: deinde exiens idem Antonius è domo ejusdem

Q3

dema